



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Hæretici quomodo ab antiquis hæreticis mutuant errores. tit. 10

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

iustificationem : secundò fugant & depellunt peccatum, ne iterùm gratia amittatur.

*HAERETICI QVOMODO AB antiquis hereticis mutuunt errores.*

TITVLVS X.



Rimò inquit Apostolus 2. ad Tim. 2. quòd hereticorù sermo & doctrina, vt càcer morbus serpit Quoties igitur nouus surgit hereticus, semper dogmata sua mutuat à veterib⁹ hereticis, quæ renouat, paucis adie-

ctis. Nihil noui sub sole. sic Luterus de fide sola absq; operibus, quo ad iustificatione & salutem, sequitur Eunomium, qui fuit ante Augustinū, de quo etiã scribit in libro de heresibus, quòd docebat, si solùm quis hoc crederet esse Euangelium, quod ipse docebat, & solùm crederet Christum pro se passum, ille non posset damnari, quantumcūq; etiam peccaret contra legem & præcepta Dei & cæt. Sola fides saluaret, & sic error Eunomianus iã per Luterum renouatus est de sola fide & operibus.

Berengarius docuit, in Eucharistia post consecrationem remanere panem & vinum, vt antè, & cæt. Et hunc sequitur Luterus in libro de captiuitate Babylonica, & hic error ante annos 1064. per ipsum renouatus est. subindè renouauit errorem, qui tempore Cypriani fuit, vt sermone 5. de lapsis testatur, quòd sola fides, quæ credit consequi gratiam, id est, remissionem peccatorum, sufficit ad præparationem & purificationem : Contra quem errorem est Paulus, 1. Corinth. 11. Probet seipsum homo. Et Christus dicit Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationē. non dicit, remissionem & cæt. Vide Cyprianum, quàm vehementer pugnat contra tales. Missam impugnavit Vuicleff, contendens non esse sacrificium. Et

huac

hunc sequitur Luterus, & nihil prodesse non communicanti, id est, mortuis Missam. sic de communione sub vtraque specie Nestorianos sequitur.

Donatus Carthaginens. Episcopus, Anno scilicet cccxxiiij. docebat Ecclesiam in sola Africa esse & ibi saluari, sicut in sola Archa Noë fuerunt pauci saluati, Gen. 7. Sic illi soli saluarentur, qui de illorum numero essent. Hoc idem hodiè asserunt Luterani, se verum habere Euangelium.

Vvaldo plurimarum hæresum author docet omnes esse sacerdotes, conficere omni tempore & loco, sine ornamentis: confirmationem, ordinem, matrimonium, vñtionem, non esse sacramenta, christum esse vñturam axium, purgatorium nullū esse, aquarum, palmarum, herbarum, ecclesiarum, altariū consecrationes nihil esse, Monachatum esse inuentū Sathanæ, ieiunia, abstinētiā à carnibus certis diebus, nullius meriti, suffragia pro mortuis, & sanctorum pro nobis reliquias, imagines, nihil esse: horas canonicas & cantus, esse cōsumptiones temporis, Papam non esse caput Ecclesię, concilia non audienda, indulgentias & excommunicationem nihil, vniuersitates esse scholas perditionis, &c. Et hæc omnia tenent & adorant Luterani. Et hæc est tota eorum doctrina, id est, renouatio veteris erroris: Et omnes sunt canes ad vomitum redeuntes, 2. Pet. 2. Proue. 26. Sic Luterani sunt omnium hæresum filij, sunt Eunomiani, sunt Berengaristæ, Vuicelstæ, Vualdenses, &c. & penè omnium aliorum hæreticorum fœtura.

Secundò, sed vt cognosceretur eorum falsitas, semper Deus confudit eos tali signo, quòd nulla secta oriens, diù mansit sola, sed statim ex illa sint exortæ aliæ sectæ, & sic seipfas consumpserunt. Sic confudit Deus linguas, Gene. 11. Sic de secta Arrij, duæ magnæ aliæ surrexerunt, vt Eunomiana & Macedoniana, Euseb. lib. 10. Ecclesiasticæ historiæ, capit. 25. Sic post Luterum

Luterum surrexit Zuinglius, Anabaptistæ, Osiander, Calvinus, &c. Ecclesiam ergò audiamus.

*LEX ET EVANGELIUM QVO-*  
*modo vtrumque exigitur ad salutem.*

TITVLVS II.

**P**rimò, mundi doctrina hæc iam est, quod hæc sit differentia inter legem & Euangelium, quod lex præcipit aliquid facere, vt sunt præcepta decalogi, Exod. 20. quæ sub se comprehendunt omnia opera, quæ nos facere tenemur & possumus, vt orare, vigilare, eleemosynam dare, &c. Et. Esse pacificum, patientem, timoratum, castigare corpus, &c. At Euangelium esse solum Deum credere, scilicet, Deum patrem conditorem omnium nostrum, & filium redemptorem nostrum, per suam amarissimam mortem, Roman. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, &c. & Spiritum sanctum esse nostrum sanctificatorem, per distributionem remissionis peccatorum, quam Christus meruit, & vitæ æternæ. Hoc solū credere est Euangelium. Idèd Euangelium gaudet de beneficijs, & ea recipit. Sed lex iubet nos aliquid agere, & præstare Deo, nempe seruare eius præcepta, & dicunt quod Deus nos solū vult iustificare & saluare per fidem propter Christum, absq; operibus legis, vt docet Paulus Romanor. 3. Galat. 3. Idèd sola fides exigitur, quæ saluat & iustificat. Sunt enim plurimū distinctæ res. Crede ergò solū, &c.

Secundò, Catholica autem doctrina est, quod sicut vtrumque est à Deo, Euāgelium & lex, ambo verbum Dei sunt, Ita ex equo Deus exigit à nobis, id est, fidem in Christum, & obseruantiam legis, fides enim statuit legem, id est, opera non destruit, Roma. 3. & 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & tamen mandata eius non custodit, mendax est, & veritas in eo nō est:

Qui